



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Hermanni Conringii De Pace Civili Inter Imperii Ordines
Religione Dissidentes Perpetuo Conservanda Libri Duo**

Conring, Hermann

Francofurti ; Lipsiae ; Wittebergae, 1680

Ad VIII. Bona intentio.

urn:nbn:de:hbz:466:1-9585

Nec revocat Christus, quod dixit Matth. 16. v. 29: *Nihil prodesse homini, si universum mundum lucretur, anima vero sua detrimentum patiatur.* Nec S. Paulus, quod scripsit: *non esse facienda mala, ut veniant bona.* Est bellum grande malum, scelerumque compendium, eoque deterius, quo diuturnius, sed non sicut cuneum cuneo, peccata peccatis pellere fas est; & præstat, vel maxima mala ferre, quàm minimum facere.

Ad VIII.

Bona intentio.

Resp. Pacem illicitam non magis exusari bonâ intentione, quam furtum animo dandi Eleemosynam, aut adulterium cum hæreticâ animo ipsam convertendi ad fidem. Inordinatio quidem, & pravitas ejusmodi Pacis, per accidens se habet ad intentionem paciscentium, ut in omni peccato contingit, teste S. Th. 1. 2. q. 72. a 1. *Nemo enim intendens ad malum operatur,* ait S. Dionysius cap. 4. de Div. nomin. (mallet quippe fornicator, aut posatur abesse deformitatem culpæ à delectatione Veneris & potûs, quam quærit) *quia verò ejusmodi pravitas sive deformitas, per se conjungitur actui fornicationis & in proposito conditionibus desiderata Pacis, ut demonstratum est: ideo bona intentio non excusat fornicantes, aut se inebriantes, adeoque nec ita paciscentes.*

Secus est de justo bello, aliisque similibus. Mala enim his adjuncta, non solum *per accidens se habent respectu operantis, verum etiam operationis*, quæ ex se benè fieri potest. Sic bellum justum gerere, ex se non est latrocinari, prædari, libidinari: sed Republicam defendere, vel injurias & damna legitimâ autoritate vindicare, quod ad officium justitiæ pertinet. Pacem autem, qualem desiderant Protestantes, sancire, ex naturâ actus & objecti est cooperari hæresi, eam veræ fidei exæquare, usurpare potestatem non suam, Officium denique & jusjurandum violare, quæ non per accidens, sed secundum se sunt illicita.

Neque

Neque juvat hæc metu majoris mali ab invitis fieri, quique hæresim maximè detestantur. *Est enim hoc quidem bona mentis indicium, quod non potest non laudari*, ut Cardinalis Hofius respondit Paulo IV. sed metus peccatum quidem minuit, non tamen tollit: neque enim præceptum fidei non violat, qui metu mortis sacrificat Idolis, quæ mente detestatur, licet minus peccet, quàm si eadem Deos putaret. Neque Petrus non peccavit, quia ex metu Christum non animo sed verbis, negavit. Et si igitur *Catholici cum Protestantibus juxta votum illorum paciscentes, animo hæresim non approbent: at re ipsâ tantum eidem concedunt exterius, quantum non nisi vera fidei debetur, ideoque peccant.*

Quod verò dicitur, multa in favorem Catholicæ Religionis hæc Pace contineri, est *excusatio in digna Christiano*, qui à Christo didicit *neque totius mundi lucrum cum detrimento anime sive peccato esse quarendum, & à S. Paulo, non esse facienda mala, ut veniant bona.* Neque fas unquam fuit peccata peccatis compensare. Non absolvitur iudice Deo adulter, qui elemosynis, aliisque piis operibus turpitudinem exbusat, in quâ perseverat. Nec denique favor Religionis est solidus, cum hæresis illi æquatur, aut in periculum tantò nocentiùs, quantò speciosiùs, conjicitur.

Ad IX.

Exempla.

§. I.

De SS. Joanne Papa I. & Anathasio.

Resp. Gravissimam injuriam fieri *S. Joanni Papa* inde evidens est, quod calumniam refutat epistola ab ipso ex carcere scripta, quam allegavimus *RAT. 8. §. 2.* & Gregorius Turonensis ejus seculi scriptor, cap 40. de gloriâ martyrum; afferens, *Joannem cum ad Episcopatum venisset, summo studio hæreticos execratum, Ecclesias eorum in Catholicas dedicasse*
Neque.